



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nucleus Juris Canonici**

**Thenhaven, Bernhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1739**

III. De Clericis conjugatis. D. 10. S. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)

## TITULUS III.

## De Clericis conjugatis.

1. In Decret. b. t. decernitur c. 1. „Si qui  
 „Clericorum infra Subdiaconatum  
 „acceperint uxores, ipsi ad relinquenda  
 „beneficia Ecclesiastica & retinendas  
 „uxores compellantur; sed si in Subdia-  
 „conatu aut superioribus Ordinibus uxo-  
 „rem accepisse noscuntur, uxores dimit-  
 „tere, & pœnitentiam agere de commisso,  
 „per suspensionis & excommunicationis  
 „sententiam compellantur. C. 4. Sacer-  
 „dotes, qui nuptias contrahunt, quæ non  
 „nuptiæ, sed contubernia potius sunt  
 „nuncupanda, post longam pœnitentiam  
 „& vitam laudabilem continentes, officio  
 „suo restitui poterunt, & ejus executio-  
 „nem ex indulgentia sui Episcopi habere.  
 Quod limitatum vide L.I. T.21. C.5. Man-  
 „dat Pontifex, ut Episcopus Clericos, qui  
 „matrimonia contraxerunt, & Ecclesia-  
 „stica beneficia detinere contendunt, quia  
 „in eorum conversatione cythara cum  
 „psalterio male concordat, i. e. *laicalis*  
*conversatio cum Clericali ministerio*, ut ait  
 Gl. „appell. rem. beneficiis privet.

2. Ex his inferunt DD. Clericum Mi-  
 noristam per subsequens matrimonium

validum ipso jure amittere præhabita beneficia & pensiones Ecclesiasticas, quia per assumptionem statûs incompatibilis tacitè & ipso facto iis renuntiat. *Nec obstat*, quod in cit. cc. dicatur, eos compellendos & privandos; *Nam* id intelligitur de privatione facti seu possessionis per actualem expulsionem etiam manu militari, si violentè ea pergent detinere; non de privatione juris seu tituli, utpote quo jam ante per Canones privati supponuntur, quia ad relinquenda beneficia compelli debent.

3. *An autem Minorista scienter vel ignoreranter contrahens matrimonium invalidum; aut Majorista ob attentatum matrimonium sint ipso facto privati beneficiis, an verò privandi per sententiam, ut ante eam lucentur fructus, & sine nova collatione ea retinere possint?* Controvertunt Canonistæ teste Wagn. ad c. i. b. t.

4. Verùm C. un. in 6. b. t. statuitur: „Si Clericus Minorista contraxerit cum unica & virgine, ac tonsuram & habitum clericalem deferat, (insuper juxta Trid. sess. 23. de Ref. c. 6. ab Episcopo sit deputatus ad alicujus Ecclesiæ ministerium) gaudeat privilegio Canonis & fori; neque trahi potest criminaliter aut civiliter ad judicium sacerdotiale, nec à sacerdotali-

„cularibus judicibus debet personaliter  
 „vel etiam pecunialiter ullatenus con-  
 „demnari. Quod Engel h.t. n. 7. & 8. etiam  
 extendit ad uxorem illius, quia uxor se-  
 quitur forum mariti. Talis tamen Cleri-  
 cus licet exerceat negotiationem hone-  
 stam vietūs causā, (quamvis aliis Cleri-  
 cis non conjugatis ea sit interdicta) quo  
 casu consueta vectigalia tanquam laicus  
 præstare tenetur; imo si una dictarum  
 trium conditionum in Minorista conjuga-  
 to deficiat, nullo prorsus gaudet privile-  
 gio Clericali.

## T I T U L U S IV.

*De Clericis non residentibus in Ecclesia  
 vel Præbenda.*

R evisis iis, quæ in *Nuc. Theol. Ex. 18.*  
*R. n. 5. §. 2.* de Residentia præcisa & cau-  
 sativa dicta sunt, specialiter *h. t.* obser-  
 vanda sunt sequentia:

I. I. In *Decret. c. 3.* „Cùm Ecclesia vel  
 „Ecclesiasticum ministerium committi  
 „debet, talis ad hoc quæratur persona,  
 „quæ residere in loco, & curam ejus per  
 „seipsum valeat exercere; quod si aliter  
 „actum fuerit, & qui receperit, acceptum  
 „amittat; & qui dederit, largiendi po-  
 „testate privetur. Item C. 4. Cùm perso-